

1449

*Sigismundus & Pius
omnino ali-
quid com-
meatus in-
firunt Me-
diolanum.*

rum montem paucis diebus subegere: tum furtim aliquid omnino commeatus in urbem est illatum. Sed, ut erat ingens in ea multitudo, fames nihil propterea remisit; quin eo usque per id tempus invaluit, ut bisdenis nummis aureis constet tritici modium venisse. Tentarunt interim Veneti duces Sforciam, qui ad Vicum Mercatum, Melcium, & Caratum stativa (immo stationes potius) habebat, ad pugnam provocare: a qua ille pertinacissime abstinuisse dicitur. Videbat prudentissimus dux fore ut, continuata obsidione, non multo post Mediolanenses fame domiti, vellent nollent, ad deditionem cogerentur. Venetæ copiæ, recepto Briantii monte, ad Tricium se recepere. Erat jam, ut dixi, brumæ tempus: verum ne sic quoque omnino in ocio fuere, sed per occasionem alterius partis circa Brepianas munitiones, & circa pontes Abduæ impositos, lævia quædam prælia paucis diebus sunt commissa, nec totis viribus unquam in aciem est descensum. Mira fuit Sforcie constantia in obsidione illa continuanda: qui præter Venetos & Mediolanenses, Alphonsum quoque Regem apertum in se moliri bellum audiebat: sed constanti, ut dixi, animo tamdiu hostes obsidere perseveravit, donec in extremum discrimen Mediolanenses fame humanarum virium expugnatrice victi, armis subito correptis, Leonardoque Venerio, qui legati nomine eo ab initio missus fuerat, in curia trucidato, deditionem fecerunt, Sforciamque in urbem evocatum Principem salutavere. Venetos, qui post Venerii cædem in vincula coniecti fuerant, factus jam voti compos Sforcia, dimittendos curavit. Studebat sapientissimus dux Venetos omni officio demereri: quibus conciliatis, videbat non esse cur bellorum minas aliunde timeret ullas. Audiverat ille, cæptum fuisse de pace agi cum Alphonso Rege: quæ si ad exitum perducta esset, apparebat ingens sibi non solum cum Venetis, sed cum tota fere Italia certamen futurum. Res ipsa nuper Ferrariæ mota: ad quam transigendam Paschalis Maripetrus est missus, optatum tandem habuit exitum. Circa nonas Junias, quum ali-

Mediolanenses, legato Veneto trucidato, Sforciam Principem declarant.